

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

adhis. Idque me jam duobus verbis sic à me petere existimes, ut petere contentione majore haudquaquam possim. Est mihi tenue monasterium, quod cum Antecessorum meorum negligentia penè eversum esset, mihi creditum est instaurandum. eoque factum, ut huic fratri meo pecuniam in sumptus necessarios suppeditare minus potuerim. Huic tu ad omneis res uno verbo'lo commodare multum valebis, ut pariter & sumtu minore isthic agat, & in consequendo, ut vocant, gradu quopiam, constituta antiquitus tempora anteveniat. Quem morem in quibusdam gymnasiis adhuc servari audio, ne cui ante impletum tempus statum titulus contingat. has literas amanuensis nostri germanicis characteribus scriptas, oro, boni consulas. Vale. Ex monasterio nostro, Nonis Majis. M. D. XXII.



XXIII.

*E. R. Theologo doctrina, vita, moribus integerrimo,*

*suo colendissimo. S. D.*

*Friburgi Brisgaviæ.*

**L**iteris illis tuis humanissimis, quas detulit ad me Andreas Sacerdos, respondi nuper, Erasme colendissime, curavi que per manus Maximiliani Transylvani meas tibi reddendas. An acceperis nescio, puto autem accepisse, licet ego ex te aliud acceperim nihil, quippe absens à Brabantia plures dies fui apud Reverendiss. & Illustrissimum Principem Electorem Archiprælulem Colonensem, qui te unice & amat & veneratur. Sapissime nobis sermo est de tua integerrima & invincibili doctrinâ. Sunt apud illum multi tui nominis præcones, inter quos Tilemannus de Fossa, tui nominis cultor studiosissimus. Hic cum narrasset, se habere oportum ad te nuncium, iniquum duxi, illum abire meis literis vacuum, etsi nihil habeam, quod nunc ad te scribam aliud, quam esse me tibi perpetuo addictissimum, obligatissimumque, qui me hominem ignotum & humilioris literaturæ prior illustrare tuis literis dignatus es. Cum ergo ea sit humanitas tua, quod præclarum obscuri literas non despicias, parito huic audaciæ meæ, si te rogo, ut mihi per ocium aliquando rescribas. Spero siquidem inde brevi futurum inter nos etiam de magnis rebus ultro citroque sæpissimè scribendi & rescribendi argumentum. Vale felicissime. ex Agrippina Colonia, 17. Martii, 1522.

Adhuc per mensem unum hic mansurus sum, deinde rediturus Brabantiam.

*Tua Præstantia deditissimus*

**Henricus Cornelius Agrippa**

*Manu propria.*

XXIII.